

quod non potest esse conveniens. Aliquando autem concedi solet his Abbatissis, ut per officiales suos possint excommunicare; tunc autem ipsi officiales non accipiunt potestatem excommunicandi ab Abbatissis, sed a Summo Pontifice, ad mandatum seu designationem Abbatissæ; sicut dici etiam potest de Conservatoribus iudicibus; eliguntur enim a religiosis per sua privilegia; iurisdictio autem eis datur a Summo Pontifice. Denique eodem modo de aliis censuris suspensionis et interdicti iudicandum est, ut expresse Abbas supra docuit; quamvis, latius loquendo de his prout solum significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas fieri, ut supponitur in dict. cap. *Dilecta*, et dixi in materia de censuris. Et hæc de pœnis spiritualibus.

CAPUT X.

AN IN PRÆLATIS RELIGIONIS SIT POTESTAS COERCIVA AD PŒNAS CORPORALES.

1. *Prælati religiosi nequit pœnam mortis imponere subdito.* — Posset tamen ex vi professionis relaxare brachio seculari. — Aliunde tamen id revera non potest. — Circa corporales pœnas potest in specie tractari, ad quas se extendat hæc potestas Prælatorum religionis. In quo certum est non extendi hanc potestatem ad pœnam mortis, quæ a nullo iudice ecclesiastico imponi potest, capit. *Cum non ab homine*, de Judiciis. Quia vero ecclesiastici iudices interdum possunt sententiam ferre de delicto, et reum postea remittere brachio seculari, dubitari potest an potestas horum Prælatorum ad hoc se extendat. Dicendum enim videtur, ex vi solius professionis religiosæ hoc non repugnare, quia possunt Prælati regulares religiosum incorrigibilem propter enormia crimina habitu et omnibus privilegiis religionis privare; ergo consequenter possunt, si dilecta id mereantur, talem personam tradere brachio seculari. Dixi autem, *quantum est ex parte professionis*, quia, si religiosus sit ordinatus clericus, non potest religiosus Prælati illum degradare, nec privare privilegio clericali, et illum tradere brachio seculari, quantumvis illum privet statu seu habitu religionis. Addo etiam, si ex parte ipsius Prælati consideretur quod est clericus, quodque iurisditionem ecclesiasticam administrat, non posse ita religiosum privare immunitate, ut illum tradat brachio seculari,

nisi hoc ei speciali privilegio concessum sit. Ratio est, quia, nisi hæc remissio fiat auctoritate seu privilegio Pontificis, vix potest ab irregularitate excusari, ut latius in propria materia tractavi, disput. 47, section. 4. Secundo, quia hæc immunitas conceditur religioso, non tantum ut clericus est, sed etiam ut est religiosus, in favorem, non privata personæ, sed religionis; et ideo non potest Prælati privare religionem hoc favore propter peccatum privata personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur; sicut non potest privata persona renunciare privilegio in favorem communitatis concessio, cui per talem renunciationem præiudicium fiat. Et ob hanc causam, existimo Prælatos religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa, neque expedit ut ea utantur, propter decentiam et honorem religionis.

2. *Objicitur ex consuetudine condemnandi ad mortem ejectos.* — Objici autem potest communis usus, et praxis secularium iudicum condemnantium ad mortem huiusmodi religiosos delinquentes et ejectos, quam ubique servari testatur Cassaneus, in Consuetudinibus Burgundiæ, fol. 51, num. 66. Sed circa hoc advertendum est, dupliciter intelligi posse religiosum tradi brachio seculari, ut de crimine morte digno iudicetur, scilicet permissive tantum ac remote, auferendo impedimentum religiosi habitus et immunitatis. Secundo, immediate, et (ut sic dicam) positive, illum tradendo in manibus iudicis secularis, postquam de crimine convictus et iudicatus est. Nos loquimur de hoc posteriori modo, et sic negamus esse talem consuetudinem. Imo etiam ab aliis iudicibus, quando non temere, sed ordinate procedunt, vix aliquando id fit, nisi in casu hæresis; in quo casu etiam cum religioso id faciendum est, non tamen a Prælato religionis, sed ab Inquisitoribus, quibus iudicium de illo crimine reservatum est, ut in specie, agens de iurisditione religiosorum, tractat Navarrus, Consil. 1, de Hæreticis. Alii vero casus, in quibus possunt Prælati ecclesiastici hoc modo tradere clericum degradatum iudici seculari, rari sunt, ut tractavi t. 5, ad 3 partem, disput. 6, de Suspens., sect. ult. Et in eis existimo, non debere nec posse religiosum Prælatum hoc modo tradere subditum, quantumvis incorrigibilem, tradere brachio seculari, propter ea quæ diximus. Consuetudo ergo illa, si quæ est, videtur intelligenda priori modo; in quo etiam alia distinctio obser-

vanda est; nam religiosus semel ejectus dupliciter potest morte plecti a iudice seculari. Primo, propter delicta commissa post ejectionem a religione, digna tali pœna; et hoc modo facile potest admitti, si fuerit consuetudo, quando religiosus ejectus alias clericus non est; quia in eo statu iudex ordinarius ejus non est Prælati religionis, nec videtur reputari tantquam persona ecclesiastica, supposita dicta consuetudine. Quod ideo adverto, quia religiosus, quantumque ejectus, verus religiosus manet, ut infra, lib. 3, cap. 5, ostendam, et sub obedientia Episcopi esse debet tantquam ecclesiastica persona; et ideo videtur frui privilegio fori, nisi per contrariam consuetudinem amissum sit. Quæ consuetudo maxime tolerari posset, quando talis religiosus ejectus nec regularem aut clericalem habitum portaret, nec obedientiam Episcopo servaret. Secundo modo posset puniri religiosus ejectus propter crimina in religione commissa; et hoc modo nec admittendam, nec probandam censeo talem consuetudinem, nimirum, quod a iudice seculari possit ad mortem damnari propter talia crimina, tum quia illa commisit in alieno foro, et quasi in diverso territorio; tum etiam quia supponitur jam iudicatus et punitus, nam per sententiam definitivam ejectus est a religione propter talia crimina.

3. *Nequit item Prælati damnare subditum ad mutilationem, aut etiam flagellationem per plateas.* — Bene tamen de mare ad triremes. — Præterea non extenditur hæc potestas ad mutilationem membri, nam hæc ejusdem rationis est cum pœna mortis, quod attinet ad irregularitatem et repugnantiam cum ecclesiastica mansuetudine. Item excludenda videtur pœna publica corporis, quæ ordinarie non est in usu in ecclesiastico foro propter decentiam religiosi et clericali status; qualis est publica flagellatio per plateas et vias civitatis. Nam, licet absolute non excedat ecclesiasticam iurisditionem huiusmodi pœna citra sanguinis effusionem, tamen regulariter non est in usu Ecclesiæ respectu personæ ecclesiasticæ; neque talis pœna per canones aliquando designatur, et ideo non est extendenda potestas Prælati regularis, ut arbitrio suo possit illam imponere. Potest nihilominus religio punire subditum pœna triremis, ut late Navar., Comment. 2, de Regularib., num. 53, ubi id maxime probat ex consuetudine plurium regularium, et quia illa pœna non includit diffusionem sanguinis per se, neque aliquo speciali

jure est prohibita, et ideo potuit consuetudine induci, nam iurisdictio potest consuetudine acquiri, c. *Cum contingat*, de Foro compet., ubi glossa alia refert. Sicut etiam quoad alia multa horum Prælatorum iurisdictio consuetudine aucta est.

4. *Obiectio contra hanc pœnam triremium.* — *Impugnatur evasio.* — Potest autem objici ex eodem Navarro, quia huiusmodi pœna videtur nimis acerba, et excedens fraternitatem et mansuetudinem religiosam, et (quod gravius est) nimis periculosa saluti animarum eorum qui sic puniuntur, propter pravam societatem, et mores perditos, et infinitas peccandi occasiones illius status. Cum ergo Prælati religiosi maxime debeant subditorum saluti consulere, quantumvis mali sint, alienum ab eorum charitate et munere videtur hanc pœnam imponere. Unde non legimus antiquos Patres, Basilium, Augustinum, Benedictum, etc., tali pœna usos fuisse; imo (quod magis urget) neque Episcopi solent seculares clericos hac pœna afficere, sed solus Summus Pontifex videtur posse id facere. Ratio etiam adhiberi potest, quia nulla pœna repugnans privilegio canonis *Si quis suadente*, potest imponi a iudice ecclesiastico inferiori Summo Pontifici, nisi juxta formam juris communis, scilicet post realem degradationem, quia Prælati inferior non potest privare subditum privilegio a superiore concessio; at vero pœna triremium est contra privilegium canonis, quia ibi rei vapulantur a laicis, et per vim ibi detinentur. Nec satis est respondere, illud fieri auctoritate, et quasi ex commissione Prælatorum, et ideo excusari juxta c. *Ut famæ*, de Sentent. excomm., nam, licet hoc satisfaciatur quoad violentam detentionem, non tamen quoad verberationem; quia hoc ipsum est contra privilegium canonis; prohibetur enim Abbas flagellare subditum religiosum per laicum, capit. *Universitatis*, de Sent. excommunic., et ibi communis.

5. *Satisfit objectioni.* — Respondetur has rationes persuadere, raro posse ac debere Prælatos regulares hanc pœnam imponere, non tamen probare esse per se injustam aut illicitam, quia potest esse æqualis delicto, et alias non est intrinsece mala, nec jure prohibita. Neque obstat quod non legamus antiquos Patres illa usos fuisse, tum quia aliquæ fortasse graviores tunc erant in usu, qualis est perpetua incarceration cum magna ciborum diminutione, et aliis corporalibus pœnis; tum etiam quia tunc non erat tanta necessitas, quia non

erat tanta multitudo personarum in singulis religionibus, nec fervor earum adeo fuerat diminutus. Et ideo, licet talis pœna acerba sit, non semper excedit religiosam charitatem et mansuetudinem, quia est interdum necessaria ad exemplum et timorem aliorum, et ad satisfaciendum publico scandalo, ex enormi et publico delicto exorto. Magis profecto cavenda esset hæc pœna propter periculum animæ; tamen, quia hoc periculum accidentarium est, toleratur interdum, eo quod non occurrat alia commoda via digne puniendi delictum sine morte. Et fortasse ideo hæc consuetudo non ita invaluit apud Episcopos respectu clericorum secularium, quia, quando aliquod delictum est dignum acerba pœna corporali etiam in persona ecclesiastica, perpetuo vel diuturno carcere illud punire solent; quia sine magno gravamine id facere possunt, et cum minori periculo reorum; religio autem sæpe non posset sine magno gravamine hos secum retinere etiam carcere inclusos, ut infra, lib. 3, iterum attingemus, tractando de ejectis.

6. *Ad impugnationem evasionis in num. 4 Navarri responsio non placet. — Altera responsio, quæ etiam instatur.* — Ad rationem autem in contrarium respondet Navarrus, legem prohibentem ne persona ecclesiastica per laicum verberetur, etiam auctoritate Prælati ecclesiastici, contraria consuetudine sublatam esse, ita ut non solum a pœna et censura, sed etiam a culpa excuset. Verumtamen et Panormitanus, quem ipse citat, non probat illam consuetudinem, et præterea non dicit esse de verberatione, sed de tortura, de qua fortasse non est eadem ratio, nisi accommodetur modo statim explicando. Et ideo, in tomo 5, disp. 22, sect. 1, a n. 40, explicando excommunicationem canonis *Si quis suadente*, censui illud e. *Universitatis*, snam obligationem retinere, præsertim circa regulares, de quibus in specie loquitur; nec puto contrariam consuetudinem in eis ostendi posse. Dico ergo imprimis, e. *Universitatis* loqui quando pœna flagellationis directe imponitur, et persona religiosa ad hoc traditur ministro ut vapulet. Quod non ita fit in pœna triremis, quia per se solum ordinatur ad laborem remigandi, per accidens autem adjungitur flagellatio. Sed hoc non satisfacit, quia vel postea licite verberatur religiosus damnatus ad triremes, vel non. Si primum, jam sine culpa non servatur lex lata in dict. e. *Universitatis*. Si secundum, certe non juste damnatur religiosus ad illam pœnam, tum quia, moraliter loquendo, habet verbera-

tionem quasi per se adjunctam; tum quia datur aliis materia peccandi.

7. *Exactior responsio.* — Addendum ergo est, dictum cap. *Universitatis* specialiter loqui de verberatione quæ fit modo religioso, et juxta religiosam disciplinam, ut ex ipso textu clare constat; et quoad hoc non existimo illam legem esse usu revocatam; neque talis consuetudo esset rationabilis, cum hoc pertineat ad religiosam honestatem, et possit decenter servari; quando autem religiosus verberandus est non more religiosorum, sed more aliorum secularium, et infamium reorum, non procedit ille textus, quia nec de tali casu loquitur, nec posset decenter servari, quia non potest persona religiosa tale munus per se licite aut decenter exequi. Ita ergo contingit in verberatione illa quæ fit in triremibus, et in hoc est etiam simile exemplum de tortura; ideo enim religiosi torquentur per ministros laicos, quia torquentur more laicorum, quod tortoris munus non posset religiosa persona per se decenter exequi. Illud autem in utroque casu difficile manet, quomodo scilicet possit religiosus taliter torqueri licite, vel ad laicalem (ut sic dicam) verberationem, vel pœnam, quæ illam includat, damnari. Ad quam difficultatem nihil aliud respondere possumus, nisi consuetudine introductum esse, quam damnare non possumus, cum sciente et tacente Summo Pontifice invaluerit, et a viris doctrina et religione insignibus observetur; quæ bona etiam fide incipere potuit, quia nullum est expressum decretum quo prohibeatur; nam potius in cap. 4, de Calumniatoribus, subdiaconus verberibus publice castigari præcipitur, et in e. *Quia iuxta*, 5, q. 6, similiter dicitur, aliquando posse ut infamem verberibus castigari.

8. *Potest ulterius Prælati damnare subditum exilio.* — *Unus modus exilii ad quem datur potestas.* — *Alter modus.* — Statuendum præterea est, posse etiam Prælatum regularem punire subditum criminis pœna exilii; hanc enim etiam canones imponunt ecclesiasticis personis, ut patet ex e. *Cum beatus*, 45 d., et e. 1 de Calumniatoribus, ubi glossæ id notant, et alia jura adducunt; et de persona religiosa est eadem ratio, et nullibi invenitur prohibitum quod hac pœna puniatur; neque etiam ob rigorem excedit potestatem talium Prælatorum, nam major est pœna triremium; ergo. Potest autem hoc exilium dupliciter intelligi. Primo, intra ipsam religionem; secundo, expellendo a religione, et simul relegando. De priori modo est res perspicua, et

quotidiana praxis; nam ubi sunt filiationes monasteriorum aut provinciarum, solent religiosi propter delicta a propriis monasteriis vel provinciis ad aliena transferri; et illud est quoddam exilii genus, quo modo solent etiam puniri moniales, quando graviter et scandalose in suis monasteriis delinquant; tantoque gravior erit hæc pœna, quo in loca magis distantia, vel minus cognita, facta fuerit mutatio. Ubi autem non sunt filiationes, habet locum hoc exilium per mutationem provinciæ aut regni, vel propriæ originis, vel professionis, et educationis in eadem religione. De secundo autem modo exilii solent aliquando religionum Prælati, dum aliquem expellunt, illi simul præcipere, ut in tali provincia vel religione non habitet, et ita simul condemnant reum et ad expulsionem et ad exilium. Et videtur hoc esse posse justum, tum quia delictum potest esse dignum utraque pœna; tum etiam quia ad honorem vel pacem religionis pertinere potest, ut talis religiosus ejectus ibi non habitet.

9. *Ad hunc modum non dari potestatem probatur.* — Sed nihilominus in rigore non videtur obligare tale præceptum, et consequenter neque hanc pœnam posse hoc modo imponi, quia postquam religiosus ejectus est, non est subditus religionis, nec tenetur Prælati ejus obedire; ergo neque illi præcepto obedire cogitur; nam, eo ipso quod cessavit subjecto, cessavit etiam præceptum. Confirmatur, quia non potest Prælati imponere præceptum subdito, pro eo tempore pro quo vel ipse non est futurus Prælati, vel alter non est futurus subditus, tum quia præceptum expirat morte mandantis, nisi sit lex; tum etiam quia extra territorium jus dicenti non est parendum, e. 2, de Constitut., in 6. Confirmatur tandem, quia ob similes rationes (præter alias), si Prælati ei, quem eicit, præcipiat ingredi aliam religionem, non tenetur ei parere, ut dixit Navarr., consil. 77. de Regul., et infra etiam, lib. 3, c. 5, num. 20, dicemus. Unde etiam obiter colligo, religiosum ejectum, cui Prælati concedit facultatem ingrediendi aliam religionem, dummodo non sit in tali regno vel provincia, non obligari ex vi præcepti ad hanc conditionem servandam; quia illa respicit tempus in quo jam non est futurus subditus, et virtute continet quoddam exilium. Dico autem, *ex vi præcepti*, nam ex vi pacti posset obligari, ut si ad vitandum aliud genus pœnæ justæ, sub ea conditione et pacto acceptasset ejectionem; tunc enim, si conditio fuerit justa,

et libere acceptata, obligat non per modum præcepti humani, sed ex naturali lege fidelitatis vel justitiæ; neque erit sufficiens excusatio, quod metu gravioris pœnæ fuerit acceptata; quia ille metus non fuit injuste incussus; sicut quando damnato ad mortem remittitur pœna, ea lege ut obligetur ad ducendam in uxorem talem mulierem, vel ad tale munus publicum exercendum, justa est conditio, et obligans postea in conscientia.

10. Præter has pœnas potest etiam Prælati religionis præcipere subdito graviore aliquas pœnitentias, vel labores, aut opera, vel aspera et dura, vel humilia et abjecta, pro qualitate delicti. Hæc sumitur ex Sylvestro, verb. *Religio*, 6, q. 6, et Angelo, verb. *Religiosus*, num. 29, et constat ex dictis supra de voto obedientiæ. Unde in hoc consideranda est differentia inter has pœnas et alias graviore corporales, quod ad alias solum obligatur homo, ut eas patiat, non resistendo violenter; ad eas autem potest obligari religiosus etiam active (ut sic dicam), eas in se exequendo, quia hæc obligatio non excedit humanam jurisdictionem, nec est res nimis ardua aut difficilis, de quo latius in materia de Legibus, lib. 5, a c. 5. Hic vero occurrebat specialis difficultas de religioso damnato ad perpetuum carcerem, an teneatur non fugere, etiamsi possit. Item, si damnatus sit, ut fame paulatim pereat, per insensibilem quamdam cibi diminutionem et subtractionem, an teneatur non amplius comedere, etiam si possit. Verumtamen hæc quæstiones generales sunt, de quibus videri potest Covar., lib. 1 Variar., c. 2, n. 14; Cajet., 2. 2, q. 69, art. 4; Sot., lib. 5 de Justit., q. 6, art. 4; et specialiter de religiosis, Navar., Comment. 4 de Regul., numero sexagesimo tertio; Salsedo, in Practica crimin., c. 137. Qui omnes concludunt, in priori casu teneri religiosum ad non fugiendum, tum ex generali lege justitiæ vel obedientiæ, qua tenetur reus parere sententiæ justæ, et illam servare, quantum ad ea quæ per ipsum licite exerceri possunt; tum etiam speciali titulo, quo religiosus tenetur ratione voti obedientiæ in claustro manere, et intra terminos ejus a Prælati præscriptos. Quæ sententia vera est, maxime in religiosis; intelligenda tamen videtur ex vi solius detentionis seu incarcerationis; per accidens vero, propter gravissima incommoda tali incarcerationi adjuncta, accidere potest ut contrarium liceat, sicut jam dicemus.

11. In altero ergo puncto resolutio com-

munis est, non teneri reum abstinere a cibo necessario ad vitam conservandam propter pœnam impositam; imo multi dubitant an licite possit id facere; qua quæstione omissa, quia pertinet ad materiam de homicidio, saltem certum est non posse obligari in conscientia ad hujusmodi abstinentiam, quia et est res nimis difficilis, et naturali inclinationi repugnans, et alioqui non est necessaria ad commune bonum; satis enim est quod re ipsa possit juste cibis privari, et quod iudex possit præcepto suo ministros justitiæ obligare ne alimenta præbeant hujusmodi malefactori; quod etiam potest prohibere Prælati religionis, tam virtute obedientiæ, quam ratione voti paupertatis. Ipsi vero religioso prohibere non potest quin licite comedat, si possit, quia nec justitia, nec obedientiæ aut paupertatis votum ad tam difficilem abstinentiam obligat. Unde infero, religiosum sic damnatum posse licite fugere, non adfugiendum carcerem, sed mortem. Omnes enim fatentur damnatum ad mortem licite fugere, si possit, quia privilegium vitæ tuendæ maximum est, ut constat ex auctoribus citatis, et aliis quos ipsi referunt. Sed qui ita damnatur ad perpetuum carcerem, ut per continuam inedium paulatim pereat, est damnatus ad mortem, nam, licet non sit damnatus ut occidatur, est tamen damnatus ut quasi ab intrinseco moriatur, quod perinde est, quantum ad vitæ detrimentum pertinet; ergo propter illud vitandum licet fugere. Et fortasse in hoc casu loquuntur Angelus, et alii auctores, quos Covar., Navar. et Salsedo referunt, dicentes licere fugere damnato ad perpetuum carcerem.

CAPUT XI.

AN RELIGIOSI POSSINT A SENTENTIIS ET PRÆCEPTIS SUORUM SUPERIORUM APPELLARE.

1. *Arguitur posse religiosum appellare a sententia injusta.*—*Item a justa, sed nimis rigurosa.*—Hoc in loco tractandum occurrit, an religiosus possit appellare a sententia Prælati, per quam ad gravem pœnam condemnatur. Et, ut quæstio sit specialis hujus materiæ, sumenda est in eo casu, in quo licitum esset seculari clerico, vel laico, a sententia legitimi iudicis appellare, vel quia reputat illam injustam, vel nimis rigorosam, et sperat a superiore esse juste leniendam. In priori ergo casu videtur licere etiam religioso appellare, juxta doctrinam D. Thomæ, 2. 2, q. 68, art.

3, quia talis appellatio nihil aliud est quam quædam naturalis defensio, qua nemo potest juste privari. Confirmatur, quia si Prælati religionis subditum aggrediretur injuste, ut illum gladio occideret, posset subditus se etiam gladio defendere, propter naturale jus defensionis; ergo si illum aggreditur per sententiam injustam, poterit se defendere, saltem per appellationem justam. Quod si hoc necessario admittendum esset in religioso, si damnari posset ad mortem, eadem ratione licebit quotiescumque damnetur ad patiendam injuriam, tantoque magis, quanto pœna injusta fuerit acerbior. Idem argumentari possumus de altero casu, quando, licet pœna non excedat limites justitiæ, multum tamen rigorosa est, et infra eosdem posset mitior imponi; cur enim non licebit reo mitiorem iudicem postulare, eum non petat injustum? aut cur debet hoc magis religioso prohiberi quam aliis, eum religiosum iudicium mitissimum omnium et paternum potius quam iudiciale esse debeat? Tandem, quando Prælati inferior præcipit subdito aliquid nimis grave et difficile, potest subditus ad superiorem Prælatum recurrere, non solum pro injustitia, sed etiam pro nimio gravamine tollendo; ergo idem erit in pœnis.

2. *Arguitur non posse, tum ex jure communi.*—*Tum ex statutis religionum.*—In contrarium autem facere videtur c. *Reprehensibilis*, de Appellationib., ubi dicitur: *Statuimus ne subjecti contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant*; et in fine subditur: *Præcipue vero hoc in religiosis volumus observari, ne religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui et Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter ac devote suscipiant quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum.* Et in c. *Ad nostram*, eod. tit., præcipit Alexander III cuidam Abbati, ut, licet religiosus appellare præsumat, eum, juxta sui ordinis institutionem, castiget. Idem sumitur ex c. *Licet*, de Officio ordinarii. Ex quibus juribus ortum videtur axioma communiter receptum, inter probos religiosos *appellationis vocem audiendam non esse*; et per statuta vel consuetudines religionum communiter hoc prohibetur, ut dicitur in lib. Monumenta ordinum, fol. 125, alias 220, concess. 499, et specialiter in ordine Prædicatorum est constitutio prohibens appellationem, quam his verbis refert Armilla, verb. *Accusatio*, in fine: *Declaramus quod, licet appellatio sit de jure naturali, unusquisque po-*

test juri suo renunciare, et eo ipso quod quis obedientiam sponte profletur, secundum Constitutiones nostras, secundum quas non licet appellare, etc., et infra refert in quodam capitulo generali, *denunciatum fuisse fratribus universis, quod de jure communi, et ex privilegio Ordinis speciali nulli fratrum licitum est a correctione, vel ab officiorum amotione appellare.* Et similis prohibitio, licet aliis verbis, habetur in eorum Constitut., dist. 2: *Cum non venerimus (dicitur ibi) contendere, sed potius delicta corrigere.* Et videri potest Ferdinandus a Castillo, lib. 2 suæ Chronicæ, cap. 8, ubi refert etiam confirmationem Bonifacii IX. Unde etiam confirmatur; nam in nostra Societate, Paulus III, in Bulla ult., circa princ., inter alia statuit, *ut a correctione regulæ Societatis hujusmodi secundum ordinationes factæ, ut vigor disciplinæ melius conservetur, appellari aut talis appellatio per ullum iudicem admitti non possit.* Item, Cisterciensibus privilegium concessum est, ut a correctionibus Præpositi Generalis vel Visitorum ejus appellari non possit, etiam ad Sedem Apostolicam, sub pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatæ, nisi a generali congregatione, et in casu denegatæ justitiæ, aut pro notoria injuria. Ita refertur in Compendio Societatis, verb. *Appellatio*, ubi aliud simile privilegium refertur canonicis regularibus concessum; et Julius II idem concessit Minoribus, prout habetur in Supplemento, concess. 553.

3. Ad hæc vero omnia respondent aliqui, intelligenda esse altero e duobus modis. Prior est, ut a correctione Prælatorum non sit religiosus appellandum, nisi correctiones in modo excedant, alioqui, interveniente excessu, non putant esse religiosi prohibitam appellationem, etiam a correctione regulæ. Ita sentit glossa 1, in c. *De priore*, de Appellationib., ubi idem sentit Decius, et Panormit., in c. *Ad nostram*, de Appellat., ubi in principio ita colligit conclusionem illius textus: *A correctione legitima non appellatur, nisi modus excedatur.* Deinde a contrario sensu infert, appellationem permitti religiosi, quando indebite prægravantur per superiorem, quia nulli deneganda est defensio, cap. *Cum inter*, de Exceptionib. Idem habet Glossa, Panormit., et alii communiter ex textu ibi, in c. *Licet*, de Offic. Ordin. Quam sententiam sequitur Navarr., Comment. 3, de Regularib., num. 51, et consil. 4, de Appellat., ubi inter alia ait, nullo jure prohiberi regularem appellare; quin potius, in c. 1, et 2. 2, q. 6, omnibus dicitur

permissa appellatio, quod saltem intelligendum est de omnibus quibus non est appellatio specialiter prohibita, ut idem Navarr. notat, ex Glossa, in l. *Qui restituere*, ff. de Rei vindicat. Qui omnes addunt rationem, quia, quando in correctione modus exceditur, contra jus naturæ esset tollere defensionem; ergo et appellationem.

4. Hæc tamen responsio difficilis est, primo, quia hoc modo nulla est differentia inter secularem clericum respectu Episcopi, et religiosum respectu sui Prælati; nam etiam secularis appellare potest a correctione, si sit ultra modum; si autem modus servetur, etiam ille prohibetur appellare in dict. cap. *Licet*, et in Tridentino, sess. 13, cap. 1, de Reformat.; ergo nulla est differentia. Consequens autem videtur contra communem sensum, et supradictum axioma receptum, quod speciale esse creditur in religiosis, quod etiam significatur in dict. cap. *Reprehensibilis*, in fine. Secundo obstat, quia alias Pontificia indulta nihil concedunt, quia non appellare a moderata et legitima correctione, ex debito justitiæ necessarium est, ut ex D. Thoma diximus, n. 1, in religiosis autem, etiam ex speciali debito obedientiæ; ergo si Pontifices hoc tantum voluerunt esse prohibitum, nullum speciale privilegium concesserunt, quod videtur esse contra mentem eorum. Tertio, ratio illa de defensione naturali videtur inefficax, nam est ab specie ad genus negative; quia defensio, etiam justa et moderata, est genus, et latius patet quam appellatio; ideoque, licet alicui denegetur appellatio, non recte infertur defensionem denegari. Potest enim ad superiorem recurrere per simplicem querelam, vel per modum supplicationis aut precum, et ab eo obtineri vel justitia, vel gratia; quod est sufficiens remedium diversum ab appellatione, ut ex dicendis constabit, et multo magis decens religiosum statum. Vide Panorm., c. *Cum dilectus*, de Appellationibus.

5. Alius modus respondendi est, per dicta indulta non prohiberi religiosi simpliciter appellationem, sed illam quæ fit ad aliena vel extrinseca tribunalia, vel per alium modum indebitum, qualis esset recedere a conventu, prætextu accedendi ad superiores sine eorum facultate; quod merito prohibetur in Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 4, de Regularib.; et Gregorius XIII, in quadam Constitutione, præcipit sub gravibus pœnis religiosi Minoribus, ne ad secularia tribunalia appellent; non vero prohibet appellationem servato debito ordine